



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Episcopis haereticis Antiochiaë post sancti Eustathij mortem
constitutis. Cap. XXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

THEODOR. HISTOR.

pietatis & castitatis athleta, velut adulter simul & tyrannus in exilium pelleretur. Ille igitur per Thraciam profectus, urbem quandam Illyriæ petiuit.

De Episcopis hæreticis Antiochiæ post sancti Eustathii mortem constitutis. CAP. XXII.

Post discessum Eustathii, Eulalius episcopus Antiochiæ pro illo deligitur. Quo paulo post mortuo, Antiocheni habebant in animo Eusebium Episcopum Cæsareæ ad se transferre. Verum cum & Eusebius ab vno episcopatu ad alterum transferri recusasset, & Imperator illud ipsum fieri vetuisset, Euphronium elegerunt. Quo etiam vita defuncto (annum enim & menses aliquot postquam electus erat, vixit) ecclesiæ illius episcopatus Placétio delatus est. In horum omnium animis similiter delituit Ariana labes. Quapropter quàm plurimi tum ex clero, tum ex populo, quibus propositum erat Deum sanctè & sincerè colere, relictis publicis ecclesiæ conuentibus, separatim per se conuentus agere cœperunt. Quos quidem Eustathianos omnes propterea nuncupauère, quod post abitum Eustathii in vinum coiuisent. Sed vt ad miseram illam meretricem redeat, ea in morbum grauisimum maximeq; diuturnum delapsa, insidias atq; adeo tragœdiam factionis Eusebianæ aperuit, & non duos trësve sacerdotes, sed quàm plurimos de fraudulentis Eusebii conatibus certiores fecit: seq; mercede cõductam illud fictum crimen Eustathio intendisse: & tamen iusiurandû, quo se obstrinxerat, non prorsus falsum esse: Nã Eustathium quendam fabrum ærarium pueri patrem fuisse. Atq; hæc quidem ab optima illa scilicet factione Eusebiana Antiochiæ patrata sunt.

De Indorum fide. CAP. XXIII.

PER idem tempus diuinæ cognitionis lux apud Indos orta est. Nam cum eximia Imperatoris Constantini fortitudo & pietas singularis per omnium ora volitaret, & Barbari vndique vsu experientiaq; didicissent pacem bello longe anteponendam esse, liberè ac fidenter omnes mutuam inter ipsos societatem inierunt. Ac multi visendi causa, non pauci mercaturæ faciendæ, per longa susceperunt itinera. Quo quidem tẽpore Tyrius quidam philosophiæ